



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt omnis presbyter in diebus festis populum admoneat quas preces ad
Deum fundere debeat. lxx.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De eadem re. Cap. LXVII.

Ex cano-
ne aposto-
lorum.

Omnes fideles qui conueniunt in solennibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas apostolorum & Euangelium audiunt, non autem perseuerant in oratione vsque dum Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiae commouentes, conuenit cum munione priuari.

De eadem re. Cap. LXVIII.

Vnde su-
pra.

Omnes Christiani qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiunt, neque communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia sua à perceptione sanctae communionis auertunt, hi de Ecclesia remoueantur, donec per confessionem poenitentiae fructus ostendant.

De precibus post allocutionem. Cap. LXIX.

Ex concil.
Laodicensi
cap. 19.

QUOD oporteat seorsum primum post alloquutionem episcoporum, vel presbyterorum orationem fieri per catechumenos celebrari, & postquam catechumeni egressi fuerint, super eos qui sunt in poenitentia preces fieri. His etiam accedentibus ad manum sacerdotum & discedentibus, tres orationes consummari fidelium, in ut prima quidem sub silentio, secunda verò & tertia per exclamationes solitas expleant.

Vt omnis presbyter in diebus festis populum admon-
neat, quas preces ad Deum fundere debeat.

Cap. LXX.

Ex concil.
Aureli.
cap. 3.

Oportet ut in diebus dominicis vel festis, post sermonem intra Missarum solennia habitum ad plebem, sacerdos admonet, ut, iuxta apostolicam institutionem, orationem omnes in comune pro diuersis necessitatibus fundant ad dominum, pro rege & episcopo eorum, & rectoribus Ecclesiarum, pro pace, pro peste, pro infirmis qui in ipsa parochia lecto decumbunt, pro nuper defunctis, in quibus sigillatim precibus plebs orationem dominicam sub silentio dicat. Sacerdos verò orationes ad hoc pertinentes per singulas admonitiones solenniter expleat. Post haec facta celebretur oblatio. Ait enim Apostolus: Obsecro, primum omnium fieri orationes, obsecrationes, gratiarum actiones, & caetera.